

Bibliothèque numérique

medic @

**Berthe, Nicolas-Louis - candidat /
Sabatier, Raphael-Bienvenu -
président. - [De variis methodis calculi
è vesi â extrahendi]**

1753.


***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°32



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0032




ILLUSTRISSIMO
 LUXEMBURGENSIUM, MONTIS-MAURENTIACI
 ET PIGNEII DUCI,
 PARI, PRIMOQUE CHRISTIANO
 GALLIARUM BARONI,
 REGIS ORDINUM EQUITI,
 EXERCITUUM EJUS LEGATO GENERALI,
 PRÆTORIÆ COHORTIS PRÆFECTO,
 NEC-NON NORMANNIÆ
 GUBERNATORI, &c.

Vovet, offert & consecrat obsequentissimus N. L. BERTHE
 Chirurg. studiosus.

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGI CÆ

ALCULI corpora sunt dura & faxea in quâdam cor-
 poris humani parte ex humoribus concreta Illos in omni-
 bus corporis partibus, nullibi verò frequentius quàm in
 vesicâ urinariâ (sive in renibus, sive in ipsâmet vesicâ nati
 sint,) reperiri, frequens demonstrat experientia. Ubi-
 cunque autem



2

fuerint efformatæ, concretiones faxeas à majore partium terrestrium; salinarum, glutinosarumque copiâ, vel à partis λιθιῶντος vitio pendere ideo conjicitur, quod qui crudioribus vescuntur alimentis, quique fibras justo laxiores aut constrictiores habent, hoc morbo sæpius afficiantur.

MULTIPLEX Calculorum in vesicâ species; eorum autem differentia à mole, soliditate numeroque sunt desumenda; maxima pars eorum in vesicâ fluitat, ejus cervici supponuntur nonnulli, quidam tandem peculiaribus veluti casulis includuntur, & incarcerati ideo à lithotomis appellantur. Calculorum incarcerationum existentia diu inexplorata, nunc tot exemplis comprobata est, ut in controversiam vocari non possit (a).

HÆC sunt Calculi in vesicâ delitescens signa: frequens sed inane meiendi desiderium; continuus in pene pruritus; limpida, turbulenta, cruenta, mucoso viscosoque humore, nec non albo sedimento referta urinæ, cum intensis doloribus, eâ evacuatâ intensioribus, stillantia excretio; involuntariæ virilium erectiones; tenesmus; ~~penitus ad pubem, dum fiat æger major, ac tandem indice & medio sinistrae manûs in ægri anum introductis, durities intra vesicam percipitur: ex his calculum in vesicâ nidulari, conjicere, non affirmare licet: certius autem cathetere in vesicam immisso & in corpus durum impingente, si præsertim collisionis tempore quidam percipiatur sonus, calculi existentia comprobatur.~~

COMPERTO Calculo, ad symptomatum quæ parit, (ægro sicut mos est præparato) curationem, statim deveniendum: hæc autem vel remediis Calculum in vesicâ dissolvere valentibus, vel ejus extractione obtinenda. Lithontripticorum actionem (b) inutilem & noxiam comprobavit usus; ad solam ergo operationem confugiendum: ut vero Chirurgus temerè illam non aggrediatur, 1°. vulnerandas partes, 2°. varias methodos quibus Calculus extrahi potest, 3°. tandem rationum momenta quibus hanc vel illam anteponat, apprimè callere debet; hæc tria seorsim à nobis sunt exponenda.

§

VESICA sacculus est musculo-membranaceus in imâ & anteriore hypogastricæ regionis parte, ossa pubis abdominalesque musculos inter & peritonæum rectumque positus, lotium à renibus secretum per-

(a) Conferantur ea quæ super hanc rem scripsit M. Houter in Reg Chirurg. Acad. Commentariis, pag. 325. & sequentibus.

(b) Hoc Heisterus in primâ latinâ Institut. suarum Chirurg. Editione, pag. 894. Douglasius in suâ novâ Lithotom. instituendi ratione gallicè conversa, pag. 16 & sequentibus. Piètreus in Quæst. suâ Medico-Chirurg. An. ad extrahendum Calculum dissecanda ad pubem vesica? Aliique benè multi annotaverunt.

tempus affervans, illudque suâ contractione excernens. Figuram quodammodo ovatam vesica refert, & dividitur, 1°. In facies, quarum una anterior est, altera posterior; 2°. In partes laterales; 3°. verò in partem superiorem *fundum* dictam, mediam, & inferiorem seu *cervicem*. Mediam fundi partem ligamentum quoddam inæqualis crassitiei, umbilico annectit; cervicis pars anterior in urethram desinit & posterior duobus in locis plus minus-ve à se invicem distantibus, ureterum extremis obliquè perforatur.

PLURES membranæ vesicam componunt, exterior nempe, media & interior: exterior communis & cellularis est: mediam muscularem dictam, plurima constituunt strata, quorum externa vesicæ longitudinem excurrunt, & interna plus minus-ve obliqua sunt: musculares fibræ cervicem versus aggestæ & quibusdam fasciculis à pube precedentibus (a) densatæ, vesicæ sphincterem constituunt: interna tandem villosa dicitur: in hujus textu non pauci nervi plurimæque conspiciuntur glandulæ (b), mucum quemdam quo vesicæ interiora illiniuntur, continuò eructantes. Arteriæ ab hypogastricis internis, venæ iisdem ex venis nascendæ, nervique ab ultimis sympathici majoris propaginibus sacrisque oriundi, membranas illas perreptant.

URETHRA canalis est membranoso-spongiosus in litteræ S formam in viris inflexus, ab anteriore cervicis vesicæ parte usque ad penis extremitatem protensus. Urethra duabus constat membranis, quarum exterior à textu cellulari vix differt; has inter, glandulæ modò describendæ textusque spongiosus reperiuntur: si glandulas exceperis, duæ illæ membranæ non nisi cellulari quâdam substantiâ in primâ urethræ parte à se separantur, indè illa, pars urethræ membranacea appellatur; accedit substantia quædam cellulis quàm pluribus referta, hinc spongiosa dicta, inæqualisque in suis partibus crassitiei, quâ enim parte incipit, nec-non versùs penis extremitatem crassior est, atque hinc bulbum urethræ, indè vero penis glandem efformat.

INFERIOREM cervicis vesicæ, primamque urethræ partem ambit corpus quoddam glandulosum, Castaneæ nucis, aut juxta alios cordis figuram referens, *prostata* dictum; in mediâ faciei anterioris parte, sulcus quidam longitudinalis considerandus venit, prostatarum corpus duas velut in partes dividens, & in quo urethra continetur. Spongiosus quidam textus, plurimique folliculi in internâ prostatarum substantiâ observantur, ex quibus totidem enascuntur ductus, circa verumontanum aperiundi.

(a) Videatur C. Winslowii expositio Anat. pag. 732.

(b) Videatur C. Winslowius in opere citato, pag. 557. Palsin in Anat. suâ Chirurg. Tom. prim. pag. 159. Falconetus in *Quæst. An educendo Calculo, cæteris anteponeendus apparatus lateralis?*

MEMBRANACEAM urethræ partem, alia quoque cingit glandula à Littrio (a) primùm descripta. Urethram in modum zonæ pollicis latæ omni ex parte ambit, plurimaque vasa excretoria in urethram hiantia habet. Recensita præter ostia, alia quoque in urethrâ conspiciuntur, talia sunt 1°. Urethræ lacunæ, decem circiter numero; 2°. vasorum excretoriorum ab antiprostatitis oriundorum, 3°. que ductuum ejaculatorum extremitates; hæc à verumontani lateribus extant; verumontanum autem caruncula quædam est, in eâ urethræ parte quam ambiunt prostatae, inferiùs conspiciunda.

MUSCULI plures ad descriptas partes pertinent, iique in eos qui prostatitis & eos qui urethræ inserviunt, meritò distinguuntur. Prostaticorum duo superiores, duo verò inferiores sunt: superiores à posteriore ossium pubis parte, inferiores verò ab utrâque ossium pubis & ischii commissurâ ad prostaticas extenduntur; eorum qui ad urethram pertinent, alii qui bulbo-cavernosi dicuntur, urethræ bulbo, spongiosæ ejus substantiæ, corporibus nerveis & transversalibus musculis adhærent; alii *transversales*, *triangulares* ve dicti, externæ tuberositatis ischii, inferioriquè urethræ parti, utrimque connectuntur.

§

CALCULI è vesicâ urinariâ extractionem Lithotomiam, improprio licet vocabulo appellant: hæc autem duplex, superior nempè & inferior. Superior ea est quæ super pubis ossa, inferior verò quæ in perinæo celebratur. Superior hypogastrica Franconianave ab authoris sui nomine, dicitur: inferior autem quæ multiplici ratione perfici potest, eandem obrationem Celsica, Mariana, Raviana, Cheseldenianave appellatur, prout juxta hujus illiusve methodum instituitur (b).

SECTIO hypogastrica hoc modo celebretur: æger supinus in lecto sic decumbat, ut pulvinaribus coxendicis ossibus pectori capiti que subjectis, nates pectus & caput, mediâ abdominis parte, elatiore

(a) In Regiæ scient. Acad. Commentariis, anno 1700.

(b) Præter methodos Lithomiam inferiùs instituendi à Celso, aliisque supra memoratis vel inventas vel descriptas, alia quoque sunt quibus Calculi extractio perfici potest, & de quibus ob instituti nostri rationem, invitissimi superfedemus; tales sunt ex quas CC. Foubert, Ledran, Lecat, aliique præstantissimi, ejusdemque note Chirurgi, in medium nuper protulerunt, & quarum descriptiones legi possunt in Heisteri & Platneri Inst. Chirurgicis; Reg. Chirug. Acad. Commentariis; Garangeoti Drainique operationibus Chirug. Cheseldeni append. anglicè conscripto: in Filgi dissert. de variis Lithotomiam administrandi viis & Ravianæ præstantiâ; Kesselringii Hist. & examine method. Foubert. administrandæ Lithotomiam; in Gunzii Obs. Chirur. de Calculum curandi viis. C. Falconeti Thesi modò citatâ.

sint, ministris hoc in situ detineatur; fistula in vesicam demittatur; cujus ope liquor quidam in eam possit injici; educto siphone, operator incisionem in mediâ abdominis parte quatuor digitos supra pubis ossa incipiat, & eam usque ad penis radicem extendat; cute, textuque cellulari, primo hoc ictu scapelli sectis, lineam albam; eâdem fere ratione, incidat, (a) detectâque vesicâ scalpelli aciem perpendiculariter in eam sic demittat (b), ut dorsum pectori, acies verò pubi obvertatur; index sinistræ manûs scalpellum veluti sequatur, & in vesicam immittatur, ut eo incurvato vesicæ parietes quasi suspensi retineantur, usque sub ossibus pubis incidatur vesica, eductoque tandem scalpello, Calculus vel digitis vel forcipibus, extrahatur (c).

CUM Celsicus instituendus est apparatus, æger tabulæ pulvinari- bus linteisque duplicatis instructæ, & in quâ sedile fuit inversum sic imponitur, ut coxæ illius super mensæ marginem collocentur sitque semi-supinus, crura à se invicem deducuntur, flectuntur genua, brachiaque laqueo injecto, genibus malleolisve alligantur; hoc in situ tribus præterea continetur ministris, quorum duo utrumque genu & pedem continent, alter verò illius humeris incumbit, & postquam quartus minister scrotum sustulit, indicem & medium sinistræ manûs oleo prius illitos, Chirurgus in anum quàm profundius fieri potest intromittit, dextrâque imam abdominis partem comprimens, Calculum versus perinæum adducere nititur, illum eo in loco, incurvatis digitis retinet; scalpellum dextrâ apprehendens cutem textum cellularem & ipsammet vesicam obliquè (d) supra tumorem incidit, tandemque cum jam calculus in conspectum venit, eum digitis solis, foràs propellit, vel unco aut forcipibus, extrahit. His peractis digito

(a) Non debet incidî vesica quin liquor ope fistulæ in hujus cavitate semper remanentis, rursus injiciatur, cum non satis turgida appareat, illud primi suaserit Middleton & Maggill.

(b) Illud suadent CC. Cheselden & Morand in suo tractatu de Lithotomiâ superiore.

(c) Nullus non videt operationem illam eodem modo in omnibus omninò circumstantiis celebrari non posse; si enim fistula in vesicam immitti non posset, tunc injectionis loco, ægro præciperetur ut quàm majorem urinæ quantitatem retineret, sicque vesica naturaliter distenderetur. Illud prius commendavit Rossetus in tract. suo de partu Casareo; si verò Calculus major, tentatâ prius sectione quâlibet in perinæo, hæc ultimâ ratione venire extrahendus, tunc partes supra Calculum ipsum, ad modum *Franci* forent incidendæ.

(d) Loco sectionis obliquæ Celsus lib. 70. cap. 26. vult cutim juxta anum innatâ plagâ incidi, cornibus ad coxas spectantibus paululùm, deindè eâ parte quâ struor ima plaga est, etiamnum sub cute, alteram transversam plagam institui quâ vesicæ cervix aperiat.

vesicæ interiora Chirurgus explorat, ut si quidam fortè Calculus sabu-
la-ve in eâ remanserint, vel immisiss supra specillum globulo instruc-
tum forcipibus, vel cochleari digiti ope introducto, possint educi,
hæmorrhagiamque, si superveniat, ellychniis styptico medicamine im-
butis, ligaturâve coërcet.

ÆGER in Marianâ eodem præcise modo ac in Celsicâ sectione &
collocatur & detinetur: deinde verò catheterem sulcatum Chirurgus
in vesicam per urethram dimittit; scroto ritè elevato tensisque peri-
næi integumentis, catheterem sic dirigit, ut dextrum cum ægri cor-
pore angulum faciat, parsque illius gibbosa extus promineat; &
eum sinistrâ obfirmans, dextræ indice sulcum ejus investigat, litho-
tomo cutem, textum cellularem. bulbocavernosum sinistri lateris
musculum, spongiosamque urethræ partem, uno veluti ictu, ab in-
feriore scroti parte usque ad unius pollicis ab ano distantiam, incidit;
deindè catheteris manubrium extollendo, concavam illius partem
fornici ossium pubis applicat; lithotomum in catheteris sulco hæren-
tem profundius adigit, illum rursus ad superiorem incisionis suæ par-
tem reducit, & eodem in situ continendum præbet; lithotomi ope,
canaliculati ductoris lingulam, (a) in sulcum catheteris immittit, li-
thotomum eximi jubet, canaliculatum ductorem in vesicam adigit,
catheterem educit, canaliculati ductoris manubrium sinistrâ apprehen-
dit, dextræ indicem (b) in illius sulcum lente & pedetentim intru-
dit, forcipes ejusdem sulci ope in vesicam introducit, manus inver-
tit & canaliculatum ductorem educit: forcipum tandem ansas lentè
à se diducit, iis rursus approximatis calculum inquirat, apprehendit,
motibusque alternis extrahit.

RAW, celeberrimus olim in Univesitate Leydensi Anatomæ & Chi-
rurgiæ Professor, suam secandi methodum sic celebrabat: primò,
ægrum in mensâ quâdam demissiore, pulvinari dorso supposito, supi-
num ita collocabat, ut coxæ illius mensæ margini responderent, &
eum modo suprâ dicto alligabat; deindè cathetere longiore rostro,
sulcoque profundiore instructo (c) in vesicam demisso, illius manu-
brium versus inguen dextrum & abdomen inclinabat, ut nempe se-
candis partibus catheteris applicaretur curvatura: postea cutem, cel-
lularemque textum satis profundè ab eo loco, in quem Mariana de-

(a) Canaliculati ductoris loco, instrumentis quibusdam ensiformibus, conduc-
toribusque dictis, veteres utebantur.

(b) Hæc dilatatio quæ nunc fit modo suprâ descripto, dilatatoribus quibus-
dam, quorum figuræ in Alghisi *trattato di Lithotomia* conspici possunt, olim
instituebatur.

(c) Ravium vesicæ corpus non incidisse, vel alio cathetere usum fuisse,
credit Dranius; vid, *le parallele*, pag. 116. & seq.

7

finit incisio ad ischii tuber obliquè incidebat, tum educto lithotomo, catheteris curvaturam explorabat, & juxta illam incisionem extendebat: ægro tandem firmitus detento, catheterisque curvaturâ tertiâ vice exploratâ, lithotomi apicem in illius sulcum demittebat, corpusque vesicæ incidebat. Quod reliquum est, juxta scalpellum conductores, & illos inter, forcipes in vesicam compellebat.

IN operatione Chefeldenianâ æger eodem præcisè modo ac in præcedenti collocatur & retinetur, deinde catheter, benè incurvus profundèque sulcatus in vesicam immittitur & illius manubrium chirurgus quodam à sinistro ægri latere posito continendum traditur; sic autem disponi debet, ut manubrio versus inguen dextrum inclinato, illius convexitas obliquè inter erectorem & acceleratorem sinistri lateris promineat: scrotum idem minister elevat, & lithotomo haud plicatili cutis & textus cellularis profundè, ab eo loco in quem sectio Mariana definit, usque ad sinistri ischii tuber, inciduntur: tum sinistrae manus indice catheteris sulcus investigatur, si fortè dimotus fuit, suo in loco reponitur, ac ejusdem digiti ope, lithotomi mucro per inferiorem vulneris angulum obliquè in catheteris sulcum adigitur. Cætera uti in Marianâ sectione perficiuntur (a).

QUÆCUNQUE autem ex illis methodis extractus fuerit calculus, embrocationes ex oleo rosaceo instituendæ sunt, & plaga, consueto vulnerum simplicium aut contusorum more, pro re natâ, deligandâ & ad cicatricem perducendâ.

§

RATIONUM momenta quibus ad hanc vel illam ex suprâ descriptis methodis anteponendam, Chirurgus impelli potest, 1^o. ab ægri habitu; 2^o. à vesicæ ipsius statu; 3^o. à Calculi specie; 4^o. à loco quem Calculus occupat; 5^o. tandem à minori accidentium operationem quamlibet subsequentiâ quantitate sunt desumenda. Relativè ad ægri habitum; junioribus minor vel altus convenit apparatus; in senibus verò vel obesioribus neuter debet celebrari. Respectu habito ad vesicæ statum; cum parva est & sana, quælibet ex sectionibus quæ infra pubis ossâ fiunt, indifferenter institui potest: cum è contrâ parva est & morbo quodam affecta sola Mariana methodus celebrandâ est. Quoad Calculi speciem: Calculus amplus, admodum oblongus, racemosusve altus, facile verò frangendus eundem necnon Ravianum exposcit apparatus; asper Cellicam, Marianamque sectionem respuit. Si ratio habeatur ad locum quem Calculus occupat, qui cervici impactus hæret, in perinæove tumorem ef-

(a) Hoc tamen cum discrimine, ut ductoris canaliculati manubrium dextrorsum inclinatum esse debeat.

format, Celficâ, quique incarceratus est, operatione Cheseldenianâ; venit extrahendus. Si tandem spectetur ad accidentium operationem quamlibet subsequendum quantitatem; omnibus anteponenda venit vel Franconiana vel Raviana sectio.

J. Amieus
Has Theses DEO JUVANTE, & præside M. RAPHAËLE BENEVENTO SABATIER, Libera^{rum} Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur NICOLAUS & LUDOVICUS BERTHE, Ambianensis, in almâ Universitate Parisiensî Artium Magister.

PARISIIS;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS:

Die 28^a Septembris, anno Salutis 1753. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO,

E T

MAGISTERII LAUREA;

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
 Typographi, 1753.